

est necessaria; quia hæc sive conditionata sive futura sunt contingentia; ergo.

*Conf. 1.* Similiter cognitio, ex qua Verbum procedit, debet esse prior secundum rationem, productio Verbi autem posterior: atqui cognitio futurorum creatorum nequit esse prior, et productio Verbi posterior; sed res habet se vice versa: cum futurorum cognitio sit *contingens*, productio autem Verbi *necessaria*; necessaria autem in Deo priora sint contingentibus; ergo.

*Conf. 2.* Cognitio *per se* non concurrat ad productionem Verbi, quæ non est perfectio, sed prædicatum neutrum; quæ non connectitur essentialiter cum objecto representato; quæ, si non daretur, adhuc idem et eodem modo existeret Verbum; prout fere ex terminis patet. Sed cognitio futurorum imprimis non est *perfectio*, sed prædicatum neutrum; quia, quamvis perfectio sit cognoscere quodlibet cognoscibile, tamen perfectio non est cognoscere hoc potius, quam illud; cum ab objecto in cognitionem divinam ex se perfectissimam et motivo physico carentem, nulla refundatur excellentia: item essentia divina cognitioque essentialis cum nulla re *creata* ut futura connectitur essentialiter; quandoquidem Deo libera est non tantum existentia, sed et hypothesis, aut conditionatum futurorum: tandem Verbum nihil mutationis haberet, aut aliud foret, si nulla existeret creatura, aut nullo modo esset futura; ergo. Idem argumentum tenet etiam pro decretis Dei liberis.

401. *Observa.* Appendix hujus Articuli et prodroma sequentis est questio: Ex quarumnam rerum amore procedat SPIRITUS SANCTUS? Resolutio cum proportionem est eadem, et quidem communis; quod *formaliter ac per se* Spiritus sanctus procedat ex amore essentiae; attributorum et Personarum; concomitantem autem et per accidens tantum ex amore creaturarum futurarum; cum amorem hic partim perfectissimum, partim necessarium requirant omnes, ut de cognitione in superioribus est dictum; notionalis etiam ac necessarius terminus a principio contingente, aut libero dependere nequeat. Dissidium tamen movetur circa amorem possibilium, quem *Thomistæ* hinc exclusum volunt, quoniam possibilium nullatenus a Deo amari contendunt. Cum vero contrarium in *Tr. de Deo uno* insinuaverimus, etiam hic cum aliis communiter repugnamus, ac possibilium amori, conformiter ad dicta de cognitione, formalem concursum attribuimus.

#### ARTICULUS IV.

AN TERTIA IN DIVINIS PERSONA PROCEDAT A PATRE ET FILIO?

402. *Nota.* Dogma Catholicum de tertia in Divinis Persona gemino hæc tenus errore fuit lacesitum. *Primus Arianos et Macedonianos* habuit auctores, qui, detracta Spiritui sancto divinitate, eum a solo Filio, itidem creatura, factum seu creatum dicebant. Sed brevi extinctus hic error jacuit, Patribus Concilii Oecumenici II. agentibus, qui Symbolo Nicæno post has voces: *Credimus in Spiritum sanctum, addiderunt: Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit.* *Secundus* pertinacior fuit, ac etiamnum apud *Græcos*

*Schismaticos* perseverat. Quidam Theodoretum in sua Anathematismorum S. Cyrilli confutatione auctorem illius volunt: alii ejus initia ad seculi septimi medium revocant; nec tam ejus editorem nominant, quam oppugnatorem S. Maximum in ep. *ad Marin.* laudant. Illud certum, seculo jam octavo acriorem fuisse circa dogma de Spiritu sancto controversiam, de eaque jam celebratas per Galliam, Italiam et Germaniam Synodos, quas in Chronologica Conciliorum serie notatas reperies. Qua porro vicissitudine sub tempora Photii, Michaelis Cerularii, Josephi Constantinopolitani, et Marci Ephesini, eadem disputatio exarserit et resederit, recruderit et quieverit, resuscitata fuerit, et eatenus compressa, ut publicam saltem fidei erroneæ confessionem recens non obtinuerit, ex historia *Concil. Oecumenicorum, Constantinopolitani et Later. IV., Lugdun. II. ac Florentini* discere licet.

Cum dissidentium pars utraque SPIRITUS SANCTI et divinitatem et processionem a Patre crederet, *Græcorum* partim imperita obstinatio, partim persuasio erronea dissidium effecit perpetuum. Quamvis ipsi concederent, Spiritum sanctum esse a Patre per Filium, quin et a Filio esse, effluere, scaturire, emanare, ac spirari; negabant tamen ab illo procedere: vel quod dicerent processionem connotare principium, quod ab alio non procedit; vel quod existimarent, exinde statui *duo principia* Spiritus sancti quorum prius ignorantiam pertinacem prodit; cum processionis verbum universalissimum sit, ac minus quam quodvis aliud, modum originis determinet: posterius autem errorem credulitatis ostendit; cum in gemina Persona unum duntaxat principium unicamque spirationem *Latini* palam ac sincere profiterentur. Omisso itaque errore altero, qui Disp. 1<sup>a</sup>. jam est refutatus, alterum secundum duas has partes distinctis assertionibus profligabimus.

403. *Dico I.* Spiritus sanctus procedit, non a solo Patre, sed etiam a Filio divino. Pars 1<sup>a</sup>. ex dictis etiam certa est apud Schismaticos, manifesta est ex Scripturis; a quibus Spiritus sanctus 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus Dei*, Matth. 10. 20. *Spiritus Patris*, Joan. 15. 26. *a Patre procedens* dicitur: definita est in Conciliis, ac in Symbolis plerisque proposita; et plerisque Traditionis monumentis demonstratur, quæ pro parte 2<sup>a</sup>. afferuntur. Unde hæc speciatim

*Prob. I. Ex Scriptura.* 1<sup>o</sup>. In Divinis dare aut tradere, idem est ac producere, ut patet ex Joan. 5. 26. Matth. 11. 27. et alibi; ergo et accipere idem est ac procedere; tum quia hoc sequitur ex relativa oppositione: tum quia quidquid Persona una accipit ab altera, non est accidens aliquod utpote a Deo alienum, sed ipsa Dei substantia. Sed Spiritus sanctus accipit a Filio, dicente Christo, Joan. 16. 13. et 12. *Spiritus veritatis non loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis:* quibus verbis ipsam divinitatem communicatam denotari, colligitur ex v. 15., ubi Christus ait: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis;* ergo. Ita colligunt ex hoc loco ATHAN. in ep. 3. ad Serap. n. 1., EPIPHAN. in Ancor. n. 67., AMBROS. de fide Orthod. c. 8. (opp. t. 2. part. 2. p. 356.), HILAR. L. 8. de Trin. n. 20. et alii.

2<sup>o</sup>. Qui mittitur missione propria a Filio, procedit ab eodem; sed Spiritus



sanctus mittitur a Filio, juxta Joan. 14. 16. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo; c. 15. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; et c. 16. 7. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hæc missio est propria, quia est personalis; cum ubique tribuantur effectus, personis duntaxat convenientes, scilicet in primo: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia; in secundo: Ille testimonium perhibebit de me; in tertio: Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio; ergo. Haud absimili modo argumentantur NAZIANZ. Or. 31. n. 26., AUG. L. 4. de Trin. c. 10. n. 29., GREG. M. hom. 26. in Evang. n. 2., ANSEL. de Proc. Spiritus sancti c. 9. etc.*

3<sup>o</sup>. Qui in Divinis dicitur esse alterius, ab illo procedit; quia cum una Persona sit alteri æqualis, non dicitur alterius esse ratione subjectionis, aut servitutis, sed ratione originis; quomodo Matth. 10. 20. dicitur: *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis*: sed Spiritus sanctus dicitur spiritus Filii; tum verbis disertis ad Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*: tum æquivalentibus, Joan. 15. 26. *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, Act. 16. 7. Non permisit eos Spiritus Jesu, ad Rom. 8. 9. Si quis Spiritum Christi non habet etc.* Ergo. Utuntur hoc argumento CYRILL. ALEX. in ep. ad Nestor. c. 10. (Labb. t. 3. p. 405. D. E.), ATHAN. in ep. 1. ad Serap. n. 25., EPIPHAN. hæc. 74. n. 7. cum aliis.

II. Ex PATRIBUS. Et quidem ex Græcis, quorum hic auctoritas plurimum valere debet, GREG. NYSSEN. L. 1. cont. Eun. (opp. t. 2. p. 428. D.) inquit: *Ut Patri conjunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit; sic etiam Spiritus sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione, secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus.... adeo ut detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a se ipsa dissideat; ATHAN. ep. 1. ad Serap. n. 20. 21. Quemadmodum unigenitus est Filius, sic et Spiritus qui a Filio datur et mittitur, unus item est, non multi.... Quia enim unus est Filius, qui et vivens est Verbum, unam quoque esse necesse est perfectam et plenam, sanctificantem et illuminantem, viventem ejus efficaciam et donum; quod ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre esse conceditur, effulget, et ab eodem mittitur et datur. Filium quidem a Patre mitti verissimum est.... sic etiam Filius Spiritum mittit.... Filius dicit: quæ audivi a Patre, hæc loquor in mundo. Spiritus autem ex Filio quoque accipit.... Igitur eundem ordinem, eandemque naturam habet Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem. DIDYM. L. de Spiritu sancto n. 34. Non ex se est (Spiritus sanctus), sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et me (Filio) illi est; et ibid. n. 37. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur a Patre; neque alia est substantia Spiritus sancti, præter id, quod datur ei a Filio. BAS. L. 3. cont. Eunom. (opp. t. 1. p. 272. B. et apud Petav. de Trinit. L. 7. c. 3. n. 15.): Ut Filius ordine est secundus a Patre; quoniam ab eo est: et dignitate; quoniam principium et causa existendi ipsi Pater est... eodem modo Spiritus sanctus posterior Filio est ordine, et dignitate; et L. 5. cont. eumd. (opp. t. 1. p. 302. A. et 304. E.) vocat Spiritum sanctum verbum et imaginem Filii. EPIPHAN. in Ancor. n. 8. Spiritus Dei, et Spiritus Patris, et Spiritus Filii, non compositione aliqua, ut in nobis anima et cor-*

*pus, sed inter Patrem et Filium medius, ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius; et n. 67. Jam vero cum Christus ex Patre credatur, Deus ex Deo; et Spiritus ex Christo, sive ab ambobus; ut Christus his verbis asserit: quia a Patre procedit et, hic de meo accipiet. Idem hæc. 62. n. 4. Non alienus est a Patre et Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio, cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus sanctus; CYR. ALEX. L. 34. Thes. (opp. t. 5. part. 1<sup>a</sup>. p. 358.): Necesse est fateri Spiritum e substantia esse Filii: Nam, ut ex ipso naturaliter existens, et in creaturam ab ipso missus, renovationem efficit, complementum nempe sanctæ Trinitatis; et L. 1. de adorat. (opp. t. 1. part. 2<sup>a</sup>. p. 9.): Mutabilis nullo modo est Spiritus, aut, si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam hæc labes pertinebit. Siquidem est Dei et Patris et Filii, ille qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit Spiritus.*

Eandem veritatem verbis metaphoricis enuntiant, qui *Filium fontem esse Spiritus sancti*, et hunc ab illo *profluere, prodire, scaturire* dicunt; ut ATHAN. de Incarn. et cont. Arian. n. 9., CYRILL. ALEX. in Joann. L. 2. (opp. t. 4. p. 182. D.) et epist. ad Nestor. c. 10.; vel qui dicunt Spiritum sanctum esse *ex substantia Filii*: ut CYRILL. ALEX. in Joann. L. 10. (p. 926. A.) et Thesaur. L. 31. (opp. t. 5. p. 334. D.), EPIPH. in Ancor. n. 7.; vel qui prædicant Spiritum sanctum esse Spiritum Filii proprium, ut ATHAN. ep. 1. ad Serap. n. 25., CYRILL. ALEX. in Joann. L. 9. (p. 810.) et L. 10. (p. 910.) vel qui Spiritum sanctum appellant aut *odorem*, aut *vaporem* aut *halitum* Filii, ut ATHAN. epist. 3. ad Serap. n. 2., CYRILL. ALEX. in Joann. L. 14. (p. 930.) et Thesaur. L. 33. (p. 338. B.) et alii. V. PETAV. de Trinit. L. 7. c. 3. 4. 5.

Porro ex Latinis Patribus laudasse sufficiat TERTULL. cont. Praxeam c. 4. HILAR. de Trinit. L. 2. n. 29. et L. 8. n. 20. AMBROS. de Spir. sancto L. 4. c. 11. n. 120. AUGUST. de Trinit. L. 4. c. 20. n. 29. et L. 15. c. 17. n. 29. alibique, MARIUM VICTOR. adv. Arium L. 1. c. 12. et 13. LEON. M. ep. 13. c. 1. FULGENT. L. de fide ad Petrum. c. 11. GREG. M. Moral. in Job. L. 1. c. 7. (al. 22. n. 30.) et in Evang. L. 2. hom. 26. n. 2. cum aliis plurimis, quos sibi adversari Græci haud ægre fatentur. V. PETAVIUM L. 7. c. 8.

III. Ex CONCILIIIS. Epistola CYRILLI, et Concilii Alexandrini data ad Nestorium, lecta et approbata fuit a Conc. Ephesino Act. 1.; deinceps etiam a Chalced. Act. 5., Constantinopolitano II. Collat. 6. et 8., III. Act. 18., et IV. Sess. ult. est confirmata: sed in hac diserte dicitur Spiritus sanctus *a Filio et a Deo Patre procedere* (Labb. t. 3. p. 405. D.). Præterea Conc. Lateran. IV. c. 1. de fid. Cath. (Labb. t. 14. part. 1<sup>a</sup>. p. 242. C.) sic profertur: *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et sine.* Lugdunense II. autem in Constitutione synodica de processione Spiritus sancti (Labb. ibid. p. 974. E.) inquit: *Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat.* Secundum quam professionem ibidem Symbolum Patrum, cum addito *Filioque* a Græcis græce, a Latinis latine in Missis solemnibus decantatum fuisse, Acta Concilii perhibent.

Tandem Concilium Florentinum in Litteris Unionis (Labb. t. 13. p. 514. D.) primo quæstionem definit his verbis: *In nomine S. Trinitatis, Patris, Filii et*



*Spiritus sancti, hoc sacro universali Concilio Florentino approbante definitum, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Mox sinistram interpretationem prævertens subjungit: Declarantes, quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem. Denique rationem adjiciens ita finit: Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius æternaliter habet, a quo etiam æternaliter est genitus.*

IV. Ex RATIONE, et quidem ex duplici axiomate Theologico. Primum, et velut a priori, est: Quæcumque habet Pater in Divinis, excepta ratione Ingeniti et Paternitate, communia etiam sunt cum Filio. Ita loquuntur NAZIANZ. Orat. 41. in Pentec. n. 9. et Orat. 31. n. 9. CYR. ALEX. L. 2. Dial. (Opp. t. 5. p. 422. C. et seqq.), et Thesaur. L. 12. (Opp. t. 5. p. 110. D. E.), et alii plerique: statuunt Patres Florentini in periocha ultimo laudata: insinuat Scriptura verbis Christi: *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Sed Pater in Divinis habet potentiam spirandi, distinctam a ratione Ingeniti et Paternitatis, seu vis generativæ; ergo potentia spirandi communis est cum Filio. Secundum, et velut a posteriori, est: Distinctionis fundamentum in Divinis sola est processio, seu relationis oppositio: constat id ex Patrum dictis, et usu Florentini num. 381. indicatis: sed Spiritus sanctus non minus distinguitur a Filio, quam a Patre; ergo et ab eodem æque ac ab isto procedit.

Conf. 1. Sententia est Patrum ac Theologorum consensu firmata, Filium per intellectum, et Spiritum sanctum per voluntatem procedere; ideoque ille Verbum, hic Amor compellatur: sed quod procedit per voluntatem et ut amor, non tantum a cognoscente, sed etiam ab ipso verbo, si hoc sit subsistens, procedit; quia nihil amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus, h. e. nisi præcognitum; ergo.

Conf. 2. Filius, dum ei communicatur voluntas a Patre, pro priore originis non supponit terminum voluntatis, seu Spiritum sanctum productum; ergo accipit a Patre voluntatem fœcundam et productivam Spiritus sancti, sicut Filius et Spiritus sanctus omnipotentiam fœcundam ex simili capite accipiunt, dum eis communicatur; ergo Spiritum sanctum æque producit cum Patre ad intra, sicut cum eodem et Spiritu sancto creaturas producit ad extra.

Conf. 3. Esse spiratorem, nec repugnat Filio, ut est Deus; cum et Pater spirator sit Deus: neque ut est Filius; quia processio per spirationem alia est, quam illa per generationem; ideoque, cum Filius sit genitus, non autem spiratus, Patri ut spiratori non opponitur, nec repugnat. Præterea vero ordo in Divinis non alius est, quam originis; adeoque, nisi Persona tertia simul procedat a secunda, præter primam erunt tantum duæ secundæ, non autem secunda et tertia ordine. Ergo cum spiratio activa Filio non repugnet, quin ab ordine exigatur, eadem Filio est asserenda.

404. Dico II. Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; cuius contrarium nunquam admisit Ecclesia Latina. Constat utraque pars ex definitionibus Conciliorum proxime relatis. Nihilominus

Prob. 1<sup>a</sup>. p. Nihil frequentius est in Scripturis, quam Spiritum sanctum designari, vel per *spiritum Dei*, vel per *spiritum Domini*, vel per *spiritum, qui ex Deo est*. Sed hujus locutionis ratio non apparet alia, quam ut significetur ordinem Spiritus sancti ad Patrem et Filium terminari, quatenus hi sunt unus Deus et unum principium, non autem quatenus sunt distincti, ut simili modo usurpari locutionem de actionibus ad extra Patres pronuntiant; ergo.

Conf. 1. Inter modos monarchiam in Divinis stabilitam explicandi geminos, alter est, quod unum, sicut in creatione, sic et in processione sit principium; ut videre est apud Græcos ATHAN. Or. 4. cont. Arian. n. 1., GREG. NYSSEN. Or. 1. in verba: *Faciamus hominem* (opp. t. 1. p. 141. C.), NAZIANZ. Or. 20. n. 7., BASIL. hom. 24. cont. Sabell. n. 4. et Latinos, AUG. L. 5. de Trin. c. 14., ANSEL. in L. de Process. Spiritus sancti c. 9. et alios. Ergo cum iidem asserant Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere, hujus processionis unum duntaxat principium in utroque reponunt.

Conf. 2. Sicut se habet omnipotentia respectu trium Personarum in ordine agendi ad extra, sic se habet *potentia spirativa* respectu Patris et Filii in ordine agendi ad intra; cum ex dictis proportio sit eadem in ratione agentium et actionis; ergo sicut in agendo ad extra tres Personæ sunt unum principium, sic Pater et Filius unum principium sunt in agendo ad intra. Præterea Pater et Filius in esse spiratoris non distinguuntur a se invicem; quia in hac ratione sibi non opponuntur *relative*: ubi autem non intercedit relationis oppositio, non est distinctio, sed unitas in divinis; ergo. Denique in concretis *substantivis*, qualia sunt spirator, vel principium, æque ac Deus, vel creator, non est multiplicatio, nisi multiplicata forma, quæ scilicet per modum per se stantis hic habetur: sed nec virtus, nec actio spirativa hic multiplicatur; tum quia hæc sunt voluntas et amor Patris et Filii: tum quia nec multiplicatio, aut numerus in Divinis locum habet circa relationis oppositionem; ergo. Qui aliter subinde loquuntur, uti HILAR. L. 2. de Trin. n. 29. *Patrem et Filium* vocans *auctores Spiritus sancti*, sumunt substantivum concretum adjective.

Prob. 2<sup>a</sup>. p. Præterquam quod nullum extet in Ecclesia Latina documentum authenticum, quod erroris hujus criminationem probet; eadem non tantum in Synodis particularibus, præsertim Foro-Julieni an. 791., Aquisgranensi an. 809. et Barensi an. 1097. contestata est dogma omnino Catholicum: sed etiam amolita est a se omnem suspicionem in Synodis Œcumenicis, Lugdunensi II. c. 1. (Labb. t. 11. part. 1<sup>a</sup>. p. 975. A.): *Sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes qui negare præsumperint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno procedat; et Florentina, in decreto Unionis (Labb. t. 13. p. 514. B.): Latini vero affirmarunt, non se hæc mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filii scilicet ac Spiritus sancti; aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre*



*non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes: sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt.*

405. *Obj. I.* Imprimis Scriptura agens de processione Spiritus sancti, facit mentionem Patris duntaxat, non autem Filii. Etiam Concil. Constantinopolitanum I. in simili occasione de processione ex Filio altum silet. Quin in Concil. Ephesino symbolum Nestorianum, quo negabatur Spiritus sanctus per Filium procedere, Act. 6. publice lectum, quoad hoc caput non est reprobatum a Patribus. Eadem dissimulatione usus est CYRILLUS ALEX. ad impugnationem sui anathematis noni, qua Theodoretus idem inficiabatur.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>. D.* Scriptura agens de processione Spiritus sancti non facit mentionem Filii implicite, et quoad sensum N. explicite, et quoad verba C. primum patet ex probationibus: secundum non obest; tum quia mos est Scripturæ, quæ pluribus Personis sint communia tribuere uni, sine tamen aliarum exclusionem, ut ex Joan. 1. 9.; Act. 1. 7. aliisque locis constat: tum quia facti ratio suppetit, quam indicavit Aug. Tr. 99. in Joan. n. 8. scribens: *Si ergo de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit: De Patre procedit cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, et quod ipsius est, de quo et ipse est. Unde illud est, quod ait: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus; ubi sic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit.* Adde, quod, si verbum scriptum deforet, traditum sufficeret.

*Quoad 2<sup>um</sup>. D.* Concilium hoc altum silet de Filio, ob fidem contrariam N. ob necessitatis absentiam C. Pro more Conciliorum, quæ definitiones non edunt, nisi occasione hæresum subnascantium, tam Nicænum de ipsa Spiritus sancti divinitate, quam Constantinopolitanum de ejus processione a Filio siluit: ut tamen illud opposite errori Arianorum divinitatem Verbi, ita hoc accommodate ad damnandos Macedonianos negatam Spiritus sancti divinitatem et processionem a Patre definivit.

*Quoad 3<sup>um</sup>. D.* Symbolum Nestorianum, quoad caput de processione Spiritus sancti erroneum, non fuit reprobatum æquivalenter N. formaliter subd. ex consensu in errorem N. ex neglectu quæstionis ad scopum non pertinentis T. Non approbatum, sed æquivalenter saltem reprobatum fuisse caput illud erroneum, patet ex eo quod Synodus tanquam Catholicam confirmavit epistolam CYRILLI ALEX. ad Nestorium, qua dogma orthodoxum de Spiritu sancto aperte pronuntiatur. Quod examen de processione Spiritus sancti ad scopum disputationis non pertineret, constat ex controversia inter Nestorium et CYRILLUM agitata, quæ circa substantialem Christi divinitatem et personam unicam versabatur. Quod demum impune negligi etiam ac dissimulari censura potuerit, inde liquet; quia negatio Nestorii accipi poterat in sensu præcise opposito Macedonianis: quæ excusatio nisi valeat, difficultas premet Græcos etiam ipsos; cum Nestorius negarit, Spiritum sanctum per Filium procedere.

*Quoad 4<sup>um</sup>.* est eadem responsio, utpote in eadem controversia. Præterea vero CYRILLUS in declaratione Anathematis noni, quem THEODORETUS oppu-

gnavit, diserte asserit, tum Filio, præter paternitatem, omnia esse communia cum Patre; tum Spiritum sanctum Filio esse proprium, ipsi substantia-liter inesse, ac esse ex ipso.

*Inst. 1.* Ex Patribus Græcis: DIONYS. L. de divinis Nom. c. 2: §. 3. ATHAN. L. de Incarnat. et cont. Arian. dicunt solum Patrem esse fontem divinitatis, vel causam duarum personarum: ATHAN. refut. hypocr. Melet. Euseb. et Paul. Samos. BASIL. cont. Eun., et DAMASC. L. 1. de fid. c. 11. (al. 8.), cum aliis Spiritum sanctum non dicunt ex Filio procedere, ut de Patre loquuntur, sed duntaxat per Filium.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>. C. A. N. C.* Filius equidem nec est fons omnis divinitatis, nec causa duarum Personarum; est tamen, juxta EPIPHAN. hæ. 76. in confut. c. 18. Aetii (opp. t. 1. p. 939. D.), fons de fonte: juxta ATHAN., CYRIL., supra laudatos, fons Spiritus sancti: juxta Græcos plerosque in Synodo Florent. loquentes, causa Personæ tertiæ.

*Quoad 2<sup>um</sup>. R.* Græci hi Patres cum aliis omnibus dixerunt Spiritum sanctum, non ex Filio, sed per Filium N. cum pluribus subd. negando per hoc actionem principii, et significando solam rationem medii N. negando duntaxat actionem principii carentis alio principio, et denotando ordinem etiam Filii ad Patrem C. Spiritum sanctum procedere ex Filio, dixerunt etiam EPIPHAN. in Ancor. n. 8. CYRIL. ALEX. in ep. ad Nestor. c. 10. MAXIM. in ep. ad Marin. (opp. t. 2. p. 70.) et alii.

Præterea præpositionem per non minus actionem causæ significare, quam alteram ex, tum ex Scriptura Joan. 1. 3., ad Coloss. 1. 16. et alibi, tum ex Patribus GREG. NYSSEN. L. 1. cont. Eunom., CYR. ALEX. in ep. ad Theodos. et aliis manifestum est. Rationem autem diversæ usurpationis reddit BASIL. L. de Spiritu sancto c. 5. scribens: *Hæ voces ex et per, non præscribentis legem sunt, sed hypostases discernentis: non enim ut naturæ diversitatem introducat, sed ut minime confusam Patris et Filii notionem præbeat, pronuntiavit Apostolus.* Ex quo D. THOM. p. 1. q. 36. a. 3. inquit: *Cum enim Filius a Patre habeat, quod ab eo Spiritus sanctus procedat, Pater per Filium spirare Spiritum sanctum dicitur.* V. Petav. L. 7. c. 17. n. 2. et seqq.

*Inst. 2.* Quamvis Patres Græci concedant eundem etiam ex Filio procedere, negant tamen Filium esse principium Spiritus sancti; ut fecit MAXIM. in ep. ad Marin. supr. cit., NAZIANZ. Orat. 34. in Ægyptior. advent. n. 10. et DAMASC. de fide L. 1. c. 15. (al. 12. in fine). Similiter THEODORETUS in ep. ad Monachos (opp. t. 3. p. 1021.), in reprehens. Anathem. 9. Cyrill. Alex., vel Spiritum sanctum et L. ult. hæ. fab. vel silet de processione Spiritus sancti a Filio, vel eam negat (opp. t. 4. p. 718. C.) asserit tantum produci per Filium.

R. D. NAZIANZ., MAXIMUS et DAMASCEN. negant Filium esse principium Spiritus sancti, sumendo principium speciali modo, pro fonte Personarum, seu principio sine principio C. accipiendo principium simpliciter et modo communi, pro eo, a quo est origo ac processio N. Principii autem vocem a Græcis aliquando usurpatam fuisse pro causa characteristicâ, monet L. 7. de Trin. c. 17. PETAVIUS. THEODORETUM errasse, quin auctorem hujus erroris fuisse, docent Viri nonnulli insignes. Probabilius tamen viadicatur ab aliis; tum quia nec CYRILLUS, quocum disputabat; nec Synodus IV., a qua fuit restitutus, nec Syn. V., a qua ejus scripta sunt damnata; hunc in illo erro-



rem notarunt : tum quia pleraque ejus dicta simili modo exponi possunt, quo aliorum Patrum verba (etiam DAMASCENI, quem pauci quidam contra communem aliorum sententiam erroris insimulant) hactenus declaravimus : tum quia in locis etiam objectis, maxime Lib. fabul. hæret., ponit principia processionis Spiritus sancti ex Filio valde faventia.

406. *Obj. II.* In hypothesi processionis ab utroque non potest dici 1<sup>o</sup>. an virtus spirandi, quæ reperitur in Patre, sufficiat, vel non sufficiat? cum in primo casu superflua sit virtus Filii; in secundo autem inadæquata sit virtus Patris: 2<sup>o</sup>. An productio Spiritus sancti activa sit personalis, vel substantialis? cum prius nequeat esse commune pluribus personis; posterius autem tribuendum foret ipsi etiam Spiritui sancto: 3<sup>o</sup>. An productio Spiritus sancti passive per se exigat pro principio suo duo supposita distincta, Patrem scilicet et Filium, an vero non? cum primum videatur carere fundamento, et oppositam habeat paritatem in creatione; secundum autem obsit dogmati.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>.* Virtutem spirativam, quæ est in Patre, sufficere; nec ideo tamen virtutem, quæ in Filio est, superfluum esse, aut inutilem; quia eadem omnino et unica virtus est in utroque. Paritas et declaratio dicti extat in virtute creativa omnibus Personis communi.

R. *Quoad 2<sup>um</sup>.* Productionem activam posse dici personalem, et negari quod ea duabus Personis nequeat esse communis. Videtur tamen potius dicenda nec personalis, nec essentialis, sed notionalis; quia scilicet, quamvis non constituat Patrem et Filium in esse Personæ, ut de innascibilitate respectu Patris diximus; nec etiam incommunicabilis sit Filio, cum filiationi relative non opponatur; ad distinctionem tamen a Spiritu sancto, et notificationem utriusque Personæ pertinet.

R. *Quoad 3<sup>um</sup>.* Productionem Spiritus sancti passivam, prout reipsa est, per se exigere pro principio supposita duo distincta, seu Patrem et Filium; quia Spiritus sanctus, prout nunc procedit, ex vi suæ proprietatis procedit ex amore mutuo, ut AUG. TR. 99. n. 6. in Joan. appellat, uno amborum, ideoque dicit habitudinem relativam ad Patrem et Filium, seu duo supposita, per suam utrinque subsistentiam ad spirandum ultimo completa; ergo per se respicit et exigit utramque Personam; quia Personæ per se convenit sua proprietates; et proprietati divinæ essentialis est habitudo relativa; tali autem relationi tale principium debetur. Ex quo etiam colligitur dispar ratio a creaturarum relatione, quæ solum respicit et per se requirit principium a se existens et virtutis infinitæ; quæ duo essentialia divinæ etiam a subsistentiis præcisæ congruunt.

*Inst.* Dicitur non potest, an Spiritus sancti productio formalis, respectu utriusque Personæ, sit æqualis aut inæqualis, mediata aut immediata? cum alterutri parti repugnet ratio vel auctoritas; ergo.

R. Dogma catholicum de æqualitate exprimit ANSEL. in opusc. de process. Spiritus sancti c. 22. scribens: *Non est Spiritus sanctus prius de Patre quam de Filio, nec de Filio, quam de Patre: nec major nec minor est existens de Patre quam existens de Filio: nec magis nec minus est de uno quam de altero.* De termino principaliter autem, idem, quod AUG. L. 13. de Trin.

c. 17. scripserat, addit ANSEL. ibidem: *Si ergo dicitur quod Spiritus sanctus principaliter a Patre sit, non aliud significatur quam quia ipse Filius, de quo est Spiritus sanctus, a Patre habet hoc ipsum, ut Spiritus sanctus sit de illo: quoniam id, quod est, habet a Patre: non sicut in rebus creatis, cum aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare quod magis sit hoc, quod dicitur esse principaliter, quam illud ad quod refertur.* De quantitate autem productionis formalis Spiritus sancti a Patre, quoad rem ipsam dubitari nequit, eam esse immediatam; cum et Pater ipse spiret, et eadem omnino ac unica spiratione qua spirat et Filius: quoad vocis usurpationem tamen dixerunt subinde Patres Græci, præsertim GREG. NYSSEN. ep. ad Ablab. (opp. t. 3. p. 27. B.) et BASIL. L. 2. cont. Eunom. (a Petav. cit. L. 7. c. 11. n. 1.), eandem esse mediatam, seu Filio interveniente fieri; ut indicarent scilicet Filium hanc virtutem habere communicatam a Patre, qui hujus etiam spirationis principium est sine principio.

407. *Observa.* Occasione argumenti nostri secundi ex ratione propositi, quo usus est JOANNES THEOLOGUS in Concilio Florentino Act. 18. contra Græcos, introducta est in Scholas questio: An, si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab illo nihilominus distingueretur? *Scotistis*, cum aliis nonnullis, id affirmantibus; *Thomistis* e contra illud negantibus cum reliquis. Habet quidem ea controversia utilitatem; quoniam et Græci olim agnoscebant, et nunc etiam Schismatici agnoscunt Spiritum sanctum reipsa distinctum a Filio, etsi negent illum ab hoc procedere: unde, parte negante stabilita, et vis argumenti a Latinis usurpati demonstratur, et systema Schismaticorum evertitur: sed veritate dogmatis aliunde satis manifestata, non opus ducimus ei inhære diutius. Itaque observamus breviter, sensum questionis posse esse duplicem; 1<sup>um</sup>. an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, et tamen idem omnino tunc foret qualis jam est, adhuc distingueretur? sed hic, utpote assumens quod quæritur, et hinc illusorius, a nobis non attingitur. 2<sup>um</sup>. vero sensum: an, si Spiritus sanctus non procederet a Filio, et consequenter tunc non foret idem qui nunc est (cum eandem habitudinem essentialem haud diceret, quam dicit de facto) an, inquam, etiam tum adhuc distingueretur a Filio; cum possit tunc alius esse quam nunc est, et tamen non esse idem cum Filio?

Ad hunc questionis sensum, conflatum licet ex hypothesi omnino impossibili, resolvendum, nec opus est, nec decet abire a principio theologico alibi statuto, quo sumus certi non aliud distinctionis fundamentum esse in Divinis, aut cogitari posse, quam relativam oppositionem originis, seu producentis et producti; quæ cum in data hypothesi nullatenus adesse ponatur inter Filium et Spiritum sanctum, consequens est neque distinctionem intercedere posse. V. PETAV. L. 7. c. 9.

Ne quis porro axioma laudatum in dubium revocare possit, Concilii Tolitano XI. et Florentino, nec non BOETIO et ANSELMO, nuper productis, addere juvat et alios ex Patribus quatuor viros, idem statuentes. Sunt autem GREG. NYSSEN. qui ep. ad Ablab. (Opp. t. 3. p. 27. A.) de divinis Personis universim ait: *Per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, aliud ex eo, quod ex causa est.* GREG. NAZIANZ. autem Or. 31. n. 9. *Mutue personarum rela-*